

excluduntur fines alii. Est Sacramentum hoc summæ dilectionis, ut Dei erga nos, ita nostræ in Deum atque in proximum. Sit igitur Eucharistia vinculum unionis, pacis & caritatis mutuæ inter fratres. Hunc finem Apostolus indicaverat cap. 10. Sicut unus est panis: ita unum corpus multi sumus. Est etiam tessera, discernens Christi Ecclesiam & membra ab alienis. Præterea monitorium de morte peccati, & de tribulationibus cum Christo sustinendis. Ut enim Baptismo in Christi mortem & resurrectionem complantamur: sic & Eucharistiâ.

SIMILITER ET POCULUM, &c.

NUNC quid circa alterum Eucharistiæ Symbolum Dominus fecerit, & facere Apostolis præceperit, sequitur. Neq; enim, sicut uno aquæ elemento, aquæ baptismum: sic uno duntaxat panis symbolo, sed gemino, panis & poculi, Sacramentum hoc instituit Dominus, eâ causâ, quæ mox aperietur: Lucas etiam: *Similiter & poculum*: Explenda verò est ellipsis actionis ex Matthæo & Marco: accepit, gratias egit, dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes.*

Hoc